

## EXERCITATIO XLIV.

295

17. Sunt alia quæ de motu demonstrantur, ut quòd certa illius sit quantitas, quod transferatur, augeatur, minuatur &c. quæ nihilo attribui non possunt.

## EXERCITATIO XLIV.

*Consensus philosophorum realitatem strictè dictam accidentibus denegantium.*

1. **E**nitatem sive realitatem strictè dic-tam accidentibus & modis dene-gari passim lego apud Philosophos, qui ante Cartesium vixerunt, ut nulla ratio sit, cur hic propter ejusmodi sententiam durius aliis tractetur.

2. Suarez disp. Metaph. tom. i. disp. 7. sect. i. num. 19. sic scribit: verissimè dicit Fonseca, modum hunc non esse propriè rem seu entitatem, nisi latè & generalissimè vocando ens, quicquid non est nihil: tamen sumendo en-titatem pro illa re, quæ ex se & in se ita est ali-quid, ut non postulet omnino intrinsecè & essen-tialiter esse semper affixum alteri, sed vel non fit alteri unibilis, vel saltem uniri non possit, ni-si medio aliquo modo à se ex natura rei distincto, modus non est propriè res seu entitas, & in hoc ejus imperfectio optimè declaratur, quod semper

T 4

esse